

C. 7. DE TIBIIS VET. 185
tur lib. 9. quod Tibicines prohibiti in
æde Jovis velci, hoc jus, antiquitùs
traditum, sibi ereptum ægre ferentes,
Tibur uno agmine abierint, adeo ut
nemo in urbe esset, qui sacrificiis præ-
cineret. Ejus rei religio tenuit Sena-
tum legatosque Tibur misit, qui darent
operam ut hi homines Romanis resti-
tuerentur. Tiburtini benigne polliciti,
totam rem ita referente *Livio*, primum
accitos in curiam hortati sunt, ut re-
verterentur Romam: Postquam per-
pelli nequibant, consilio haud abhor-
rente ingeniis hominum eos aggrediun-
tur. Die festo alii alios, per speciem,
celebrandarum cantu epularum causa
invitant, & vino oneratos sopiunt: at-
que ita in plaustra somno victos conji-
ciunt ac Romam deportant. Nec prius
sensere, quàm plaustris in foro relictis
plenos crapulæ eos lux oppressit. Tunc
concurfus populi factus, impetratoque
ut manerent, datum, ut triduum quo-
tannis ornati cum cantu per urbem va-
garentur: restitutumque in æde vescendi
jus